



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum  
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

**Kolb, Gregor**

**Rottwilae, 1725**

**VD18 12054054**

Præfatio Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](#)

\* \* \* ) o ( \* \* \*

# PRÆFATI O AD LECTOREM.

Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Eccle-  
siam meam, & portæ inferi non prævalebunt  
adversus eam. Matth. 16. v. 18.

**E**st hoc verbi divini oraculum ; est Christi Sponsi divi-  
nissimi Ecclesiam sibi sponsam amoris vinculo devin-  
cientis promissum fidelissimum ; est Supremi quondam  
in se ipso, nunc verò in Vicario suo visibilis Pastoris &  
Episcopi dictum datumque Agnis atque Ovibus solatium ad spem  
firmam excitandam efficacissimum ; est omnia præventis, &  
providentissimi donum Dei ædificantis Architecti præsagium ad-  
versus quasvis rimas & ruinas potentissimum. Præsagium &  
promissum hoc cœleste meritò videri potest datum atque serva-  
tum esse non Romanæ duntaxat Ecclesiæ, sed & aliis Ecclesiis  
cum Romana penitus unitis & adunatis, quarum cùm plurimæ  
numerentur, inter primas numeranda venit Ecclesia Germanica,  
pluribus iisque principibus innixa columnis. Columnam unam  
Prin-

Principem jure dicimus Moguntinam, alteram Trevirensem,  
 huic proximam Colonensem. Est Romana Ecclesia Mater;  
 Romanæ Matris Ecclesiæ sunt eadem Ecclesiæ Filiæ Germanæ;  
 Est Romana Ecclesia Mons Dei; illæ supra Montem Dei arces  
 positæ. Est Romana Ecclesia navigium Petri maximum; illæ  
 sunt petrinæ naves minores. Dum persecutio[n]es maximas per-  
 pessa est Mater fortissima; in persecutionibus fuerunt & Filiæ in-  
 victissimæ. Dum Mons Dei obsidione[s] sustinuit gravissimas ipse  
 immotus & immobilis; impetus quoque vehementissimos repu-  
 lerunt arces inexpugnabiles. Dum Petri navigium inter tem-  
 pestates, fluctus & procellas jactatum fuit absque naufragio, non  
 unus duntaxat Neptunus adversùs Triremes Germaniæ iratum  
 caput incassum extulit, vocatis licet in suppetias orcinis copiis,  
 quas inter classem inimicam adornârunt tyrannis, hæresis, schis-  
 ma, & scelera alia maxima vitiorum duces. Neque has leves  
 aut breves velitationes, sed pugnas gravissimas fuisse experien-  
 tia docuit. Et quidem jam primis à Nativitate Domini seculis  
 pugnas similes pugnare cœperunt etiam Moguntiæ, Treviriæ,  
 Coloniæ, & temporis successu Salisburgi, Viluntii & Episcopati-  
 bus minoribus, tyranni verius quam Principis nomine digni  
 Duces. Tyrannis successerunt & accesserunt Simoniaci, Arianî,  
 Eutychiani, Iconomachi, & his nostris seculis absque suo no-  
 mine notissimi, quos inter & sibi non ultimum pugnandi locum  
 vendicavit Hübnerus cum sociis Scriptoribus & Lectoribus haud  
 paucis, quorum arma quam sint fortia adversus Pontifices Ro-  
 manos & Cæsares, cum absque nostro vulnere exceperimus; or-  
 do præliorum jam exigit, ut experiamur, quam acuta sint tela aut  
 jacula præsentia, quæ in Germaniæ Archipræfules & horum Suffra-  
 ganeos contorserunt. Si vici fuerimus, vietas dabimus manus: si  
 vicerimus, devictos manu tenebimus, & propius in Ecclesiæ in Ger-  
 manam, ac inde in Romanam reductos servabimus. Primo cujus-  
 cunque loco gesta Archipræfulum, Moguntini nimirum, Trevi-  
 rensis

¶ ) o ( ¶

rensis & Coloniensis pauca compendiō dabimus: tum verò Reflexiones addere liceat, in quibus peramicè cum hoste pugnabimus. Cæterū Lectorum commonitum volo, Hübneri tomulos diversa Editione typis impressos, continere paginas diversis omnino numeris notatas: unde si paginarum numeri hoc in opusculo expressi non convenient cum Editione posteriori, conveniunt tamen cum priori, & certè cum substantia utriusque Editionis. Denique defectus typi, typographi & correctoris excusabunt facilè Lectorum peritia & patientia.



SE.